

/ R^{de} et amantissime Pater, ac veluti frater in Christo Iesu.

Agnovi ex literis tuis antiquam modestiam,et pietatem tuam.

Gratulor sacro ordini Praemonstratensi, quod tantae indolis iuvenem nactus ex bono clerico sacerdotem optimum fecerit. Gratulor e-

5 tiam tibi divinam istam vocationem, per quam à lata via ad angustam, à tumultu seculi ad pacem Christi, et,ut ipse loqueris, ad commorantes inter lilia castitatis, et ad coenaculum sanctae paupertatis, à tabernaculis peccatorum translatus fuisti. Ago deinde gratias, quod in isto sancto otio, ac praesertim ad altare Domini
10 salutem meam Deo nostro commendare non desinas. Cognatum tuum libentissime vidi, et si quid is à me petierit, quod per me fieri possit, in gratiam tuam praestare non omittam. Vale charissime frater, et me,ut pollicitus es, tuis precibus iuva. Datum Romae, die

47^{II}

15 Arch. Vatic. Mss.Gesuit.18 fol.15^v. Brouillon autogr.